DEO OPT. MAX. VIRG. DEIPAR. ET SANCTO LVCÆ ORTHODOX. MEDICOR. PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

PROPOSITA A CLARISSIMIS VIRIS, D. D. DECANO ET DOCTORIBVS MEDICIS COLLEGII ROTHOMAGENSIS, PRO AGGREGATIONE DISCVTIENDA.

An à ſanguinis transfuſione vitæ prorogatio & morborum profligatio? 67.

VT animantium conceptus eo tantum momento vita perfrui dicuntur, quo ſpiritus vitalis vna cum ſanguine in puncto ſaliente micare, ac diffuſione ſua priora tum excurſus ſui, tum partium ſtamina adumbrare nititur; ita eorum corpora, vbi extremos complementi apices fuerunt adepta, eximias tantum vitæ functiones obire cenſentur, quamdiu perenni ſanguinis in cordis ſacrario accenſione, ac jugi ejuſdem circulo viuifico nectare perfunduntur. Enim vero animantium particulæ in perpetuo fluore conſtitutæ, hujuſmodi impetus perennitatem minime ſuſtinerent, niſi illius ſubeundi inſtinctum, ac partium jugiter dilabentium ſupplementa nanciſcerentur. Horum autem, ſicut omnium functionum præcipuus elater eſt igniculus ſeu ſpiritus vitalis, qui inſtar laris familiaris inter priora generationis rudimenta cordi præpoſitus, allapſum homorem fermentat ac in efferueſcentiam compellit; ſacer vero ille ignis, dum in cordis delubro pro ſalute animalis excubias agit, ſanguinis crebro appulſu illud ſalutaris fouetur ac inſtauratur; etenim cum per ſingulas ſyſtolas ſanguis ex cordis ergaſtulis minime totus vrgeatur, ſane nuper accenſi reliquiæ in ipſius recondiculis aſſeruatæ, cum ſumma partium actiuitate polleant, recenter admiſſum vndiquaque ſubeundo, ipſius particulas attenuant, eaſque inſuper exaltant, quibus ſanguis in turgeſcentiam actus, vlterioris carceris impatiens cum impetu in arterias prorumpit, vitam cum calore ſingulis partibus fœneraturus. Sanguis in ditione animali quæſtoris publici vices gerere videtur, dum in arteriis conſiſtit naturæ ærarium ac Theſauros in varias ipſius exigentias erogat ac depromit: quippe qui ſpiritibus turgeſcens caloris effluuia quaquauerſus diſpergat, quibus ſingulæ partes in propria penſa compellantur & in conſtanti motu ac effluxu contineantur; ſuccum nutritium calore ſuo percoctum, ſolidarum partium confidentium fatali illo fluore ſpaciolis intertexit; liquorem ſummè volatilem ac ſpirituo-ſalinum in exiguos ſubſtantiæ cerebri ductus inſtillando, eleganti filtratione ſpiritus animales e ſinu ſuo depromit; ſimilis fere proſapiæ ſuccum circa partes genitales vrgendo, humorem genitalem procudit. Nec hiſce dumtaxat impenſis ſiſtitur arterioſi ſanguinis prouincia, nimirum ſeroſum laticem diſtributionis munere defunctum ac lixiuiali tinctura imbutum renum ſubſtantiæ incernendo foras eliminat; limoſam ac feculentam ſui particulam lienis parenchymati affigit, inquo, vbi inſito partis fermento probe ſubacta fuerit, denuo ſanguini reaffuſa ipſius in corde fermentationem promouet, à quo inſigni ſpirituum choro ſtipata in ventriculum ſecedens, fibrarum ipſius lancinatione ciborum appetitum, eorumdemque citiſſimam diſſolutionem inſtituit. Alias ſimiliter ſui exuuias excrementi malitiam induentes, ad varia emunctoria deuehendo, omnium propè functionum ἡγεμὼν ac moderator eſſe geſtit. Hiſce porro mulctatus expenſis ſanguis arterioſus reſiduam ſui partem in venas tanquam in commune γαζοφυλάκιον deponit, in quibus publicani vices præſtans ſingulos reditus, vectigalia, aut ſubſidia exigit ac excipit. Horum prius ac præcipuum eſt reſidua ipſius arterioſi ſanguinis portio, qui venoſi baſim conſtituens allapſos ſuccos forma ſanguinis aut ſaltem purpura induit, huic proxime accedit ſuccus ex cibis elicitus, qui multiplici alueo in venas detruſus vetuſtum ſanguinem nouo pabulo reficit, quo ſpiritus vna cum alimento ſingulis partibus impertiatur; ſuccedit latex ſeroſus à glandulis, vaſiſque lymphaticis recollectus, qui ob complexa frugi libamina in venas reffunditur; demum defficiente ſucci nutritij ſupplemento, ſanguis ipſe alioquin nimio æſtu deflagrans, detexendo quicquid ſolidis partibus attexuerat, non tantum vtiles ac benignos ſuccos deprædatur, ſed & inutiles conſortio ſuo repudiatos damno ſuo allicit ac reſorbet, vt omnes indiſcriminatim laribus vitalibus ad cordis focum immolentur.

VTRVMQVE quæſturæ animalis penſum ſanguis ideo ſubit, quod ſumma omnium quibus conflatus eſt partium ἀκμῇ ac exaltatione prꝑpolleat, quæ cum ab eſculentis quibus veſcimur fuerint eductæ, ſane ejuſdem indolis eſſe decet. In omni autem alimento particulas ſpirituoſas, pingues ſeu ſulphureas, ſalinas, aqueas ac terreſtres nidulati, eorum πνευματικὴ ἀνάλυσις palam teſtari videtur; eaſdem vero in depreſſiori volatilitatis gradu ſubſiſtere, inſtituta ſingulis in coctionibus earumdem πνευμάτωσις luculenter declarat: ideo non inique ſanguinem vinorum inſtar recentium ſuos cruditatis, maturationis, ac defectionis ſtatus nanciſci ſuſpicari fas eſt: ipſe enim ſucco alimentari recenter perfuſus ſpirituoſas partes parciori manu ſubminiſtrat, vnde leuis ſaltem rorpor ſingulos paſtus ſubſequi conſueuit; iteratis autem circulationibus ſuccus ille incxcultus ſpiritualeſcens, homines ad quaſvis tum corporis tum animi functiones felicius accingit, cum eadem fidelia ſubſtantia dulcis ouorum albumini reſpondens in ſolidarum partium reſarcimentum elaborarur: exhauſto autem quicquid ſpirituoſum ac benignum ſinu ſuo fouebat ſanguis, ipſe ἀκμὴν perpetiens, in defectionis ſtatum incidit; in hanc porrò ſanguinis maturationem, inculpata vitæ munera obeuntem, ſingula animalia ab ipſis ortus incunabulis bonis auibus progrediuntur, ſed vix ipſam delibarunt quin fatali retroceſſu ſuccorum πνευμάτωσις vſque labaſcens iiſdem auſpiciis auræ vitali non amplius litare ſuſtineat; Et ſi enim caloris natiui deprædationes per alibilia ſtipendia reſarciantur, quia tamen ipſe benignas ac ſpirituoſas partes præ cæteris depaſcitur, ſalinæ, aduſtæ, aliæque ipſius voracitati magis reluctantes tanta copia congeruntur, vt congrua ſuccorum exaltatio perpetim infringatur, qua tandem omnino collabente, vlterioris in corde accenſionis ſanguis incapax euadens, vitæ periodum neceſſario concludit. Verum non ſemper gradatim ac per conſtitutos à natura progreſſus caloris natiui exequiæ celebrantur; ſæpiſſime præcoci ac præmatura eluctatione ſuæ ἐκλάμψεως impedimenta proſternere connitens, vix peragrata tantilla ſtadij ſui plaga, duriori conflictu ſtatim perimitur, aut crebra intercedente velitatione ſenſim in exitium prolabitur; hinc fatum aliud ex neceſſitate, aliud ex fortunâ.

VT fatalem illam interitus neceſſitatem ſufflaminarent, aut præcocem mortis inuaſionem omnino arcerent, quotquot degenere humano bene mereri geſtierunt nullum non mouerunr lapidem, magiſtramque omnium rerum experientiam aſſiduo pulſantes, quam plurimis adminiculis totam artem locupletarunt. Sed nulla vnquam ætas aut inuentionum vtilitate, aut acerrima rimandi libidine felicior noſtrâ fuit, in hac quippe viri ingenioſiſſimi pleraque animalia explorationi anatomicæ viua ſupponentes, intimos naturæ receſſus intra fumantia eorum viſcera cruentâ manu inquiſiuere, & ex ſpirantibus eorum præcordiis motum ſanguinis circularem, ductus chyliferos, aliaque depromſere, quæ ſcrupuloſas veterum manus ſubterfugerant. His nouiſſime acceſſit recens illa ſanguinis ab vno animali in aliud tranſmigratio, quælicet adhuc in incunabulis deliteſcat, paſſim tamen apud vulgus increbreſcit tanquam excogitatiſſimum adminiculi genus, quo vitam vltra conſuetam periodum protrahi, aut præmaturus interitus præcaueri poſſit. Illius poſſibilitatem motus ſanguinis circularis tot experimentorum rationumque calculis comprobatus tanquam genuinam ſobolem ſibi vendicat; eamque indubium quiſquam reuocare non poteſt, niſi eodem momento oculis ac manibus fidem derogare intendat. Iam vero aut venoſi aut arterioſi ſanguinis inſtituitur elutriatio, totalis vel partialis; prior vbi in locum ſanguinis integre ab animali ſubſtracti nouus alter ſufficitur, eaque duplici modo, vbi nempe ſanguis educendus eodem momento ſubducitur, quo alter ſubſtituitur, veldum ante alterius transfuſionem proprius totus effunditur. Poſterior vero ſeu partialis cum moderata aliqua ſanguinis quantitas alteri prius eductæ aut ſimul educendæ reſpondens tranſmittitur. Venoſum ſanguinem traduci poſſe præter inuiolabilem ipſius circuitum, tentata tum in hiſce tractibus, tum in exoticis experimenta extra dubitationis aleam vindicant, verum eumdem vt pote effœtum vapeſcentem, cadauerosis partium intertrimentis conſpurcatum, ipſi tranſuaſationi minus expeditum, hujuſce ἐγχειρήσεως antiſtites merito reprobant, ipſique arterioſum vt pote defæcatiorem, ſpiritibus locupletiorem anteponunt. Totalem ſanguinis tranſuectionem quam integra præuertat ſanguinis eductio impoſſibilem aut læthalem eſſe ſtatuimus, nec multo minus periculoſam etſi eodem momento quo ſanguis ſubducitur alter ſubſtituatur; ideo tantum partialis in vſum reuocari poteſt.

VETERANVM ſanguinem exauthorari, ipſi nouitium ſuccenturiari, eoque pacto properanti ſenectæ remoram injici poſſe, vſus ſanguinis, ac experimenta toties inculcata ſubinnuere videntur; nec repugnat quædam incentiua vapeſcenti ſenum ſanguini ſuffici poſſe, quibus defectionis ſtatû ſub quo ingemiſcit, vt cumque recreato, vlteriorem flammulæ vitalis micationem ſuſtinere poſſit. Nec vllo modo ambigimus quin ſelectus ſanguis inſigni ſpirituum vbertare diteſcens, nutantes ac vacillantes in altero deficiente ſuâ miſcellâ aliquamdiu refocillando, tum ipſi, tum toti corpori neoteriſmum conciliet. Sed caue ne temeraria expectatione immortalitatem tibi ſpondeas. Licet enim ſpirituum languores ac defectus eleganti illo commeatu tanquam præſentiſſimo cardiaco recreentur; vſque tamen adeo minuetur eorum in corde ἐκλάμψις, vt ne vel vegetiſſimo fomite vapeſcens, vllam fermentationem ſubire amplius non poterit. Perſpectis vſibus quos ſanguis corpori fœneratur, quiſquis hujus ὀρέξεως abillius ἐνεργείᾳ depromeret, eumdem omnium prope inordinationum, quibus præmaturus accerſitur interitus, velut genuinam ſcaturiginem non inique inſimularet; ideo ſane omnem operam jure impenderet vt ipſius κακοχυμίαι ad meliorem frugem reducerentur. Vtrum autem impuri ac degeneris exauthoratione, alterius vero purioris ſuccenturiatione illud præſtari queat, quis ἀσφαλείας diplomate ſancire præſumet? quidam bicipitem illam morborum parentem amputata plethora detruncant, ſolamque ſuccorum dyſcraſiam incuſant; ſed cum venarum diſtentio, tenſiua laſſitudo, totius corporis, ac maxime faciei rubores, aliæque genuinæ πλήθους fæturæ ſola ſanguinis detractione procumbant, quid tum noui ſanguinis intruſione, peregrini hoſpitis ſuppetias implorare, cum ſanguis ob luxuriem anrea juſte mulctatus in ſui perniciem vlterius diteſceret? Conſimili lance ſanguinis dyſcraſiam manumittere non licet. Vt ipſa παλαιότης καὶ πολυειδὴς ita varios ac diſcrepantes reductionis tramites ſibi vendicat. In hanc crebro ac maxime prolabitur, quod minime inſtar vinorum recentium diſtincta ac ſucceſſiue per totum ſubeat ſua cruditatis, maturationis, ac defectionis momenta, ſed ob perennem partium dilabentium effluxum eodem tempore ac per partes omnia in ipſo celebrentur; vnde quibuſdam perpetim inueteraſcentibus, aliiſque de nouo ſuffectis à cruditate, vel nimia coctione quicquam excrementitium congeri neceſſe eſt, quemadmodum & vbi ſanguis inueteraſcens ſuas non deponit exuuias. Sanguinem nimia cruditate imbellem cachexia, chloroſis, leucophlegmatia, phlegmaticaque corporis διαθέσεις conſequntur, eumdem nimio defectu laborantem aut exuuiis ſuis diutius indutum, icterus, cachexia, aſcites, melancholia, mania, paſſio hypochondriaca, ſcorbutus, atrophia, ſputum cruentum, febres diuturnæ, languores & ſimilia, in quibus ſanguinis maſſa ex conſtitutione dulci ac balſamica in acrem, acidam, corroſiuam, lixiuialem, ſalſam, ac aduſtam peruertitur, quin imo ipſe ab inteſtino incitabulo, vel ob quicquam degener ipſi permixtum, in effrenatam prorumpens efferueſcentiam, tumultus febriles accerſere ſolet.

SANGVINEM hiſce αἱμαλίας infamatum quiuis χαινόφιλος imprudenti calculo proſcriberet, ipſumque alterius benignioris congreſſu caſtigaret; ſed διαίρεμα auſcultandum. Febris alia intermittens, alia continua; illa quædam ἀπυρεξίας concedens momenta hocce adminiculi genus reſpuere non videtur, quod induciarum tempore tutius celebratum acrem, aduſtam, ac ponticam ſanguinis diatheſim reducere poſſet, vnde noua ſpirituum copia perfuſus febrile fermentum prorſus ſubigeret. In continua vero incendium intus debacchans, cunctaque ad deflagrationem comparata velut exoptatam prædam aucupando noui ſanguinis miſcella forſan recrudeſceret, ſummaque ſuccedente κρᾶσις benigniores ſanguinis particulæ indiſcriminatim cum inſigni ægrotantis diſcrimine ad excretionem damnarentur. Cæterarum autem ſanguinis παρεκβάσεων attemperationem, reductionem, ac caſtigationem per nouam illam ipſius exantlationem tentare licere nil repugnat, nec quiuis medicus ſuffragantibus ratione & experientia ipſi reluctabitur. Cum enim ars ipſa per redundantium detractionem, & deficientium additionem à ſummo præceptore definiatur, ὁ δὲ καλῶς ποιῶν ἄριστος ἰατρός, ſane dum ſanguinis detrahendi leges promulgat, mutila prorſus ac imperfecta videretur, niſi ejuſdem deficientis reſtaurationi proſpiceret. Quis enim hoc ce adminiculi genus reſpuerer dum ventriculus, ac inteſtina ob laringis, partiumque deglutitioni dicatarum vitium eſuriales ferias agere coguntur, aut dum illa ob inflammationem, ſucci digeſtiui ἔνδεια, vel aliud quodvis deliquium primæ alimentorum concoctioni incumbere non poſſunt, cum tunc temporis alibilia enemata ipſius vices vtcumque ſupplere videantur? num ſecundæ coctionis defectui ac indigentiæ in præcipiti exhauſtu, enormi hæmorrhagia & ſimilibus, aut vbi alimenti πάθησις intercluditur, præſentioribus ſuppetiis ſuccurrere dabitur? verum non temere ac inexpertis aliis præſidiis; quorum eriam nonnullis corpus ægrotantis præparandum neceſſario incumbit. Ideo modo non reclamet virium imbecillitas aut quodvis aliud, leuis ſaltem totius corporis prouiſio per venæ ſectionem ac purgationem præmitti debet; matutino tempore, exinanito ventriculo, aluo enemate prius ſubducta, celebretur, eaque multoties per διάλειψιν, ac pro virium modulo iteretur. Hiſce feliciùs ſuccedet vtriuſque ſanguinis κρᾶσις, cum ſanguis ægrotantis ob ſuam labem incaſtigatam in efferueſcentiam pronus, alterius transfuſi ὁμιλίᾳ nimium incandeſceret; hac etiam methodo auertentur ægrotantis oppreſſio, ſyncope, cardialgia, vomitus, diarrhæa, aliaque in conſultum ipſius vſum jamjam ſubſecuta, nec dubium quin hocce præſidij genus in prædictis affectibus cætera longe ante celleret; cum enim omnia aſſumpta ventriculum inteſtina, meſenterium, necnon forſan lienem ac hepar ſalutare debeant, antequam in ſanguinis ſinum introducantur, ſane prauæ colluuiei, qua ſaburrantur, fermento, eorum virtutes quantumuis vegetiores peſſumdarentur. Licet enim quiſquiliæ in hiſce partibus ſcaturientes ſint ipſius ſanguinis exuuiæ inter circulandum iiſdem affixæ, quarum ope ipſe ſanguis transfuſum alterum ſimili contagio peruertere videretur, quia tamen diuturniori, quam in viſceribus ſubeunt reſtagnatione, vlterius exaltantur, ac præ nimia ſynceritate, qua illic pollent, velut quintam fermentorum ſanguinis eſſentiam exhibent, ideo intenſiores ἐνεργείας ſibi adſiſcunt, quam dum in vaſis aliorum ſuccorum benignitate diluuntur ac occultantur. Verum reclamat generis humani præſtantia cruenta illa vectigalia ab hominibus exigere crudelitatis labe inſimulans, vni enim alterius noxa proficere non juuat. Sed num pari jure nobis reſcindetur brutorum ſanguis in alios vſus paſſim impune mactatorum? Numquid ipſe humano ſaltem ἰσόχρονος ac ἰσοδύναμος in hoc opere à nobis promulgatus omnem ſæuitiæ ac αἰσχρῶν πάθων ſuſpicionem conuellet? præterquam quod enim ſanguis pecuinus tot pathematum inordinationibus minime agitatus, ac humanus, ſeſe intemeratum magis tueatur, ipſa pecora huicce εὐχρασίᾳ ideo opportuniora videntur, quod congruenti diætæ certius ac facilius adigenda, ſanguinem, qualem expoſci mus ſuppeditare poſſint. Nonne lac vaccinum, aſininum ac caprinum quam plurimos quotidie ab orci faucibus reducunt? Cedo lac muliebre vt magis familiare infantibus ideo propinari, itane argues de ſanguine transfundendo, qui quidem non vt ſimilis exigitur, ſed quia diſſimilis gliſcententem in altero intemperiem reducere valeat? non abſimili forſan modo quo œnopolæ vina rancida, mucilaginoſa, vappida, aſceſcentia minime ſimilium ac vernaculorum vinorum, ſed peregrinorum ac ſæpiſſime artificiali conditura adulteratorum, mixtione ac σύγχυσιν attemperant, iiſque priſtinum vigorem reſtituunt. Forſan aliquis pertimeſcet ne ab illa pecuini ſanguinis in corpus humanum transfuſione, velutinita μετεμψυχώσει, belluinam indolem ſeu vt aiunt θηριώδεις homines induantur. Sed præterquam quod animi mores non minus ex laudabili partium conformatione, quam ex ſuccorum κράσει ſoboleſcant, reprobata totali transfuſione, eam tantum per διάλειψιν inſtituendam laudamus, in qua transfuſus ſanguis ita abeccipiente aſſimiletur, vt ipſius dyſcraſiâ vtcumque caſtigatâ natiua ipſius indoles ac εὐκρασίᾳ rependantur. Dum tamen adhuc in ephebis hæc noua curandi methodus verſatur, acri indagine ipſius effecta proſequi juuat, duriores ipſa legitimæ ſuſpicionis probationes ſuſtinere debet, crebriorumque experimentorum vexillis aliquamdiu militare, donec in probatorum remediorum cenſum cooptari poſſit.

Ergo à ſanguinis transfuſione vitæ prorogatio & morborum profligatio.

ASSERTIONES.

In ſoluendis naturæ phænomenis archæi aſſumptio pompoſum ignorantiæ ſubterfugium.
Criſis à ſola humorum efferueſcentia, minime ex variis lunæ ſchematiſmis.
Vreri atoniæ aquæ Borbonenſes.
Σκληροκοιλίοις ſal polychreſtum.

PROBLEMATA.

An intermittentium focus intra vel extra vaſa?
An venæ ſectio calefaciat vel refrigeret?
An miaſmata loimica ſanguinem fundant vel coagulent?
An mors à voluptate citior quam à dolore?



PARADOXA.

Tractio nulla in rerum natura.
Nec hepar, nec venæ, nec cor ſunt ſanguinis cauſæ effectrices.
Fœtus in vtero materno nec lacte nec ſanguine nutritur.
Humores aſſumpto pharmaco educti in corpore minime præ extiterunt.

Propugnabit Rothomagi Mag. GERMANVS L'HONORE' Bajoc. ex Baccalaureo Pariſienſi Doct. Medic. Cadom. Ann. D. M. DC. LXVIII. Dieb. vero xxviii a Junij

IN AVLA DOMINI MAGNI PRIORIS SANCTI AVDOENI.